


**05**

**A**

**287**



36

DEO AUXILIANTE!  
DE  
**MUNDI SENIO**  
IN ILLUSTRIS  
**CHRISTIAN-ERNESTINI**  
ACROATERIO MAJORI  
SUB PRÆSIDIO  
**DN.M. JOHANN. WOLFG. RENTSCHII,**  
PHIL. PROF. PUBL. NEC NON ALUMN. INSP.  
DISPUTABIT  
AD d. IV. JAN. CIC IOC LXVI.  
AUTOR  
**JOHANNES LEONH. PREUSSING.**

TYPI JOHANNIS GEBHARDI

A

KDZ

*VIRIS  
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimo, Experien-  
tissimo, Praeclarissimis,*

Dn. GEORGIO CHRISTO-  
PHORO *Renschel*/


Confiliario Camerali Brandenb. & Censori Redi-  
tuum ac Rationum Illustri Fisco proprietorum  
Circumspectissimo,

Dn. DAVIDI *Fuchsen*/  
Sereniss. Marchionis Brandenb. Secretario Solertis-  
simo ac benè merito,

Dn. JOHANNI LEONHAR-  
DO *Pfaffreuter*/

SERENISS. PRINCIPIS pariter ac Reipubl. Pharma-  
copolæ Celeberrimo,

*Dnn. suis, Patronis, Promotoribus, Avo, Susceptor, E-  
vergetis, Fautoribus, omni quâ decet Subjedione,  
Pietate & Observantiâ filiali, prosequendis,  
amandis, colendis,*



Hoc Juventutis suæ Specimen  
Gratitudini declarandæ of-  
fert, & consecrat

05 A 287

Johannes Leonhardus Preufing,  
A. R.

L. N. J.  
PROÆMIUM.



Nimum humanum , vita  
nostræ Duceim ac Rectorem , in excelsior  
loco rerum posuit Natura : Ut , invitus  
quoque , operis hujus imminensi qualita-  
tes , ortum item interitumque intueri assidue coga-  
tur . Quo magis eorum admirari rationes lubet , qui  
cum undique includantur hoc Theatro , ipsi tamen se  
subducunt , & industriæ Parentis suæ tanquam fugitivi  
elabuntur . Mente verò tot tantisque rebus destinata-  
m , curis partim levioribus vanisque , partim etiam  
pudendis , occupata m atque intenta tenent . Recrè  
igitur Hieronymus : Ego , ait , quotidie , quando ma-  
ne corpus è lecto corripi , vespere dormitum disce-  
do , in prandio vel Cœna comedo & bibo , reliquum  
verò tempus lectioni , scriptioni , & aliis honestis stu-  
diis & exercitiis tribuo , considero pulchrae hujus  
mundi machinæ qualitates , ejusque ortus & interi-  
tus imaginem mihi propono . Hinc & ego operæ pre-  
tium me facturum putavi , si B. Hieronymi exemplum  
imitarer , & mundi qualitates , tantumque splendidissimi  
Theatri ruinam considerarem . Etsi autem cer-  
tum diem & horam novissimi illius Diei rimari nobis  
sit impossibile , Matth. 13. Atque inconveniens ,

A 2

A&.

KD7

A&e. i. Qnia Deus hoc nesciri voluit , tamen mun-  
dum motu proprio in pejus ruere, senescere , & ad in-  
teritum perpetuò vergere, ideoque diem illum rerum  
omnium consummationis haud longè abesse, sunt qui  
putant. Hæc autem animi oculis intuens , non po-  
tui mihi imperare, quin aliquas de pretiosâ hâcce ma-  
teriâ, contexere in Theses, susque deque habens peri-  
culum, quod mihi liventem Momum minitari eminus  
video, unis invotis habens hoc, ut cordatiores ac æ-  
quiores studiorum Censores & Mœcenates forsan al-  
lucinantibenignè faciant , meainque infirmitatem ac  
imbecillitatem benignitate suâ atque faventiâ suble-  
vent & adminiculentur. In hanc arenam , hac spe  
fretus descendō, & accingo me operi. Cum autem  
tunc universa benè ac competenter gerantur , si rei  
principium fiat decens & amabile Deo. Nov. 6. in  
Or. Sic & ego in Nomine Sp. S. & individuæ Trini-  
tatis hanc quæstionem, AN MUNDUS SC: SENE-  
SCAT, VIRESQUE RERUM LANGVESCAT,  
paulo prolixius explicare , Eruditoruinque placidæ  
disquisitionis subjecere mecum constitui. Adsis mihi  
O DEUS SPIRITU tuo GRATIÆ  
& SAPIENTIA!

THE-

# THESIS.

I. Physicum problema est, quod de Senio Mundi proponimus. Ergo ex Natura dijudicandum; Natura enim Controversiarum Physicarum norma est. Bellissimè philosophantur, qui naturam aspiciunt, et si omni librorum destituti Supellestile Instructissima Bibliotheca hæc est, nec indiget alterius supplemento. Descripti ex hoc quicquid sine numero librorum alibi existant. Abeant aliò igitur ab humanis Autoritatibus desumpta argumenta. Ciceronis verba placent: Non tam Autoritatis, quam rationis momenta quærenda sunt. Nec probare soleo, id quod de PYTHAGOREIS accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos: IPSE DIXIT: lib. i. de Nat. Deorum. Neque quicquam tot præclarata nomina movent. Multitudo enim errantium, non parit errori patrocinium.

II. Sed nec consulenda quoque sunt Theologorum Scripta; aut ipsæ Sacræ Literæ. Sæpius enim S. Scriptura ad hominum vitia coercenda impropriè loquitur. Et sive maximè Cœlorum tremor, de quo Luc. xxii. 26. Propriè explicetur, non tamen de hoc tempore, sed ipsius extremi judicii instante intelligimus.

A;

III. Remo-

Kon

III. Removendæ simul hinc Mathematicorum conclusiones sunt. Quæ enim de Variatione Apogæi Solaris Mathematici tradunt, ea ex Hypothesi procedunt, quæ veritatem rei non statim præsupponit. Sic illi suum primum mobile, suos circulos Cœlestes habent, quibus Physicus non stringitur. Pro diversâ scilicet Solis à terrâ distantiâ à diversis Autoribus diversimodè numerata, diversum etiam Solis apogæum à diversis constitutum fuit. Unde non mirum discordare in conclusionibus, qui non concordabant in Principiis. Sed non valet Solem in Perigæo quandoq; esse, aliquando in Apogæo. Id enim ab initio ita habuit, nec quisquam aliud nisi Cycli Solaris eccentricitatem probat.

IV. Ut autem tandem ad rem deveniamus proprius, monemus, non esse Quæstionem *de Causis supernaturalibus*, mundi interitus: Sed naturalibus. Hoc scilicet quæritur: An Mundus mutabilis sit & corruptibilis ab intra & ex se, suâque naturâ? Id quod ~~aneroune~~ negamus. Mundum enim interitum monstrat Scriptura, non dicitur Natura. Fidei est articulus, non rationis fœtus. Itaque credendo intelligitur, non intellegendo creditur. Omnibus igitur naturaliter diem hunc indagantibus opponimus illud August: Omnum hac de re calculantium digitos resolvit, & quiescere jubet ille, qui dicit: Vestrum non est scire, quod Pater in sua posuit potestate lib. 18. de C. D. cap. 53.

V. Cœ-

V. Cœterum longo tempore durasse Systema  
mundanum à Mosis ætate ad nostra usque tempora,  
non est controversum, sed queritur de eo, an Qualita-  
tes etiam naturalium rerum sint remisiores, Natura-  
que ad instar grandævi senis pedetentim viribus defi-  
ciat, atque ad interitum vergat?

VI. Mundum quidam ex Sapientibus existimant,  
neque esse creatum, neque ullo in tempore peritum:  
Inmortalem nonnulli, quamvis esse creatum fatean-  
tur. Tertiis verò collibitum est dicere, & esse creatum  
& ordinaria necessitate peritum. Et cum ex istis  
opinionibus trinis, unam esse necesse sit veram, cun-  
ctis tamen argumenta non desunt, quibus & sua de-  
creta confirment, & aliorum subruimpant & labefaci-  
ant scita. Hæc ARNOBIUS l. 2. Attamen perpau-  
ci reperiuntur Æternitatis mundi propugnatores, per-  
multi contra Oppugnatores. Siquidem Sapientium  
penè omnium consentiens doctrina sit, ortum ali-  
quando & perire iterum posse. Hinc PLATO in  
TIMÆO introducit DEUM hoc modo alloquentein  
DEOS: Quæ à me facta sunt, ita me volente indisso-  
lubilia sunt; Omne siquidem quod vincitum est, solvi  
potest; Quapropter quia generati estis, mortales qui-  
dem & dissolubilesominino estis, nec tamen unquam  
dissolvemini &c.

VII. Neq; quicquam contra nos obtinent illi, qui  
Dicta Scripturæ S. citant Eccl. I, 4. Terra stat in æter-  
num. Et Cap. 3. Didici, quod omnia opera tua, quæ  
fecisti

KD7

fecisti, perseverent in æternum &c. Distinguimus enim inter æternitatem periodicam vel secundum Quid, & inter æternitatem absolutè dictam. Tres enim sunt æternitatis significaciones. 1. notat durationem indefectibilem & interminabilem, quæ nec principium nec finem habet, & sic solus Deus est æternus. 2. notat durationem indefectibilem, non quidem à PARTE ANTE, sed à PARTE POST, h.e. quæ initium habet, sine autem caret, & h. m. Angeli sunt æterni & Animæ hominum. 3. Notat durationem undiq; defectibilem tamen ratione finis, quam ratione Principii, involvit tamen longam vel per omnia, vel per multa secula durationem. In hac ultimâ consideratione æternitas accipitur in locis allatis. Et hoc respectu Regnum Davidis etiam dicitur æternum, quia per multa secula duravit.

IIX. Nihil autem hinc in Universo mundi systemate iminutatum esse patet inductione omnium naturallium corporum. Uno eodemq; modo Corpus informat anima, videndi facultatem, per oculos exercet, non aures, eundemq; per omnia ordinem observat natura, quem in primâ creatione acceperat. Nulla occurrit varietas, defectus nullus. Sed nec potest aliter. Adeo idem Dei influxus conservativus, nec etiam intrinsecæ mutabilitatis causæ adsunt. Nullo ergo modo hactenus defecit,

IX. Ut

IX. Ut hæc eò appareant clarius, observandum  
esse invenimus: Corruptionem ab intra competere  
~~in~~ corporibus compositis, non materiatis simplici-  
ter. Materiatum Cœlum est, ab intra non corrum-  
pitur. Non corruptur stellæ, non Elementa. Cum  
igitur Mundus integrum involvat Systema, quod  
ex simplicibus maximam partem constat, non potest  
ab intrinseco principio immutatus dici.

X. Elementa adhuc nullam corruptionem,  
nullam mutationem ratione Substantiæ suæ passa  
sunt. Sunt enim corpora simplicia, sunt immutabilia,  
nulli corruptioni obnoxia. Corruptio enim affectio  
corporum compositorum & mixtorum est, non sim-  
plicium. Ibi enim sœderet tandem rupto separantur  
corpora diversa, è quibus conflata erant antè. Nihil  
tale in Elementis àc simplicibus metuendum corpo-  
ribus. De igne qui dubitat, accedat, & plus satis in-  
calefcet. Evidem Rom. viii. dicuntur congeiniscere  
Elementa, & parturientium dolores experiri. Sed  
Metaphoricus est locus, nihilque probat, induciturq;  
tota Natura per quandam PROSOPOPOEIAM.

XI. Sed ne ulterius in compositis forsitan mutatio-  
nem suspicio accidisse dicat, distinguemus age inter  
species & individua. Sint corruptioni obnoxia indivi-  
dua, parum ea curat Physicus, sufficit species immu-  
tabiles esse & liberas ab interitu. Moriatur hic canis,  
iste homo, ille leo. Manet canis, vivit homo, superstes

B

leo

KD7

**L**eo est. Ubi tamen monitum volumus, nos non probare sententiam illam, quam JOHANNI HUSSIO (quâ fide viderit ipse) PETRUS HURTADUS de MENDOZA Disp. Phys. xiiii. sect. i. § 2. p. m. 419. adscribit: Dixisse scilicet beatum Martyrem in CONCILII CONSTANTIENSIS less. xv. Deum nihil posse annihilare nec MUNDUM MAJORARE, NEC MINORARE, sed animas usque ad certum numerum creare, & non ultra. Posse enim non tantum Deum destruere mundum, sed actu ipso destruaturum esse, Scripturâ S. monente, quis dubitaret?

**XII.** Cum itaque mundus peritus omnipotentis manu sit, ipsis Adversariis patentibus, infallibiliter collimus, non inclinare cum suâ sponte ad ruinam. Collectio luce meridianâ clarior est; Quod si enim inclinaret, non foret miraculosus interitus, sed naturalis. Domus quæ suâ sponte ad interitum ruit, non cadit miraculosè, sed naturaliter. Mundus autem uti concedi oportet, miraculosè peribit.

**XIII.** Denique aliquoties in S. Literis incognitum extremum diem esse legimus. Sed non est incognitum id quod naturaliter accidit. Quæ interitum minatur domus, indicat casum simul cuivis spectatori: Et possent sanè curiosa ingenia judicii extremi tempus per proportionum Regulam ostendere. Decrevit in tantum natura mille annorum intervallo, E. in totum peritus mundus est proportionali tempore.

Quæ

Quæ sanè contra Christi ipsius effata esse ju-  
dicamus.

XIV. Facetè & mirè se oblestat PHILIPPUS ME-  
LANCHTHON, aliiq; qui demonstrare conantur, per  
2967000 millaria Germanica s. 3450. semidiami-  
etros terræ descendisse Solem. Verum speciosè hæc di-  
cuntur, probatu difficillima sunt. Mitius nihilomi-  
nus de tanto Literarum Parente loquendum arbitra-  
muri, neque statim id pœnæ genus meruisse Germa-  
niæ Præceptorem, quod assignat subtilis, sed acrior  
nonnunquam SCALIGER Ex: xcix. Quod nonnulli  
prodere ausi sunt, Solis corpus longè proprius nos esse,  
quàm quantum ab antiquis scriptum sit, ita ut ipsa de-  
ferentis corpulentia locum mutasse, videatur, vel ipsa  
Scripta Spongiis, vel ipsi Autores scuticis sunt  
castigandi.

XIV. Sequeretur enim penetratio dimensionum,  
quæ à natura satis explosa est. Transiret enim su-  
prema Cœli pars in medianam, media in infimam, hæc  
forfan in aëris locum; In quem aër? In vacuum. Id  
autem non datur? Ergo in plenum. En habes pe-  
netrationum dimensionem.

XVI. Placet argumentum de Penetratione dimen-  
sionum. Addam igitur adhuc unum. Si Sol descen-  
dit, non dabitur amplius æqualis dierum & annorum  
commensuratio, sed breviora erunt tempora nostra-  
tia, quam prisca, quia Sol nunc multo breviorem Cir-  
culum

culum describeret. Citiūs autem absolvitur breve spaciūm quam longius: Duplo ergo ad minimum quævis hora, prīcis temporib⁹ minor foret, minor dies, mensis minor. Descendisset simul etiam Luna, nisi turbatam etiam distantiam dicas, quod tamen ha-  
ctenus nec ullus Mathematicorum afferuit.

XVII. Attamen *Calendariographos* notare quot-annis plurimas *Eclipses* objiciunt. PTOLOMÆUM autem & Mathematicos Veteres paucissimas notāsse, malignosque hodie Eclipsibus respondere effectus, quod nunquam experta est vetusta ætas. At non sequitur: PTOLOMÆUS non notavit plures, ergo non fuerunt. Eclipses enim utriusq; Luminaris & que frequentes & horridas hodieque esse, ac apud Veteres audacter affirmamus. Solis enim, Lunæ, Terræ, eadem substantia & eadem accidentia manse-runt, eadem Luminis umbrarumq; eadem infuper viæ Lunæ à Solis distantia. Ubi autem eadem cau-sæ, ibi & idem effectus. Qui mutata hæc esse suspica-tur, producat si potest, causam, tempus & alias muta-tionis circumstantias. Nos autem causam, quod antiquitūs paucæ notatæ fuerint, assignamus *Mathe-maticorum defectum*. Rarior enim antiquis ista Sci-entia. Hinc vel nullæ vel visæ tantum Eclipses fu-ere notatæ. Habiti enim pro Magis ASTROLOGI sunt antiquis, quod tam abstrusa producere potuere.

XIX. Sed invenit porro adversa Pars quod oppo-nat

nat Veritati. Nam multa loca, ait, facta esse arida  
& effæta, imprimis JUDÆAM, quæ ante uberrimos  
babuit proventus, exaruisse. GRÆCIAM sub IMPE-  
RIO TURCICO desertam ferè esse, cum fuerit ante  
populosa satis. Sed id absconum. PATRIARCHÆ  
jam suis temporibus annonæ charitatem experti sunt  
sæpius. Ergo jam eo tempore solum fuit sterile. Cef-  
sat nunc planities fertilissima quævis, si insuper habe-  
atur labor. Terra enim colivult, ut alat, si mater est,  
reverentiam hanc poscit, ne in novercain degeneret.

XIX. Sufficienter quidem hoc ostensum est, nec  
opus penes cordatos addi plura. Ut faciles tamen  
simus & liberales, conabimur etiam in contrarium  
probare, multa loca, multasque Regiones olim horri-  
das & incultas, tandem fertiles atque amœnas factas  
esse. Cujus rei exempla, miriades nobis, si id agere  
vellemus, Historiæ suppeditarent, chartæ autem com-  
parcendi gratia præterimus, paucis saltem adductis:  
TERRA ATTICA inculta & sterilis initio dicitur, fu-  
isse THUCYDIDI, quæ tamen postea opima &  
amœna facta fuit, quod & de ITALIA ante adventum  
EVANDRI scribit AURELIUS VICTOR. Ita etiam  
nostra GERMANIA olim non talis extitit, qualis ho-  
die est. Siquidem Germaniam TACITI ævo, infor-  
mem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectu-  
que fuisse, testis est ipse CORN. TAC. lib. de Mor.  
Germ. c. 2. Urbium verò agrorumq; culturâ, ex-

cisis etiā sylvis, quarum antiquitus in Germaniā magna erat copia, quemadmodum Hercinia plusquam dimidiā parte sui hodie habitatur, factum est, ut urbium magnitudine & splendore, ubertate agrorum & varieta te fructuum & magnitudine passionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur & importantur, vix ullum Regnum hodie æquiperari posse Germaniæ. Quare non abs re WINPHELINGUS: inquit: Profecto si nunc videat CORNELIUS TACITUS Germaniam, non scriberet, ut olim, informem Terris, asperram Cœlo, tristem cultu aspectuq;. Causa autem præcipua, cur hodie alia & mitior sit multorum locorum facies, quam olim, est æterna Dei providentia, quâ fit, ut quemadmodum omnium aliarum rerum sint alternæ vices: Ita quoq; regiones olim asperæ, horridæ, incultæ, omnibus modis efflorescant, florentes nunc sylvescant, ac desertæ fiant.

XX. Nec dum autem res est expedita; namq; hydræ veluti lerneæ resumunt capita Adversarii nostræ assertioni contradicentes, & novo objectionis aculeos nos conantur vulnerare. Multi enim *plantas antiquis Viribus destitutas esse* queruntur, hinc & MEDICINÆ succenturiata in esse CHYMIAM, novam medendi artem ob novos morbos: scil. naturæ defectus arte sublevandos esse. At iniqua falsitas est, quam asseruerunt. Esto enim, non præstant medicamenta id quod antiquitus. An sequitur statim plantas defecisse?

Dentur

Dentur antiqui & frugales homines , nec dubitabili-  
mus amplius de Medicamentorum Virtutibus. O-  
mnium enim morborum causa est unica propemodo-  
rum LUXURIA , illiq; morbi præclaræ ingurgitatio-  
nis & intemperantiæ mercedes. Hinc nempe notum  
illud vulgare : PLURES GULA OCCIDIT, QVAM  
GLADIVS. Plurimos igitur nunc vagari morbos,  
quos Veteres Medici non cognoverunt , nec eorum  
rationem tradiderunt , non planè negamus. Olim  
apud Medicos non erat necesse circumspicere multa  
auxiliorum genera, cum essent pericula paucissima.  
Nunc ideo innumerabiles pœnè morbi, quia innume-  
rables Coqui. Nesciebant illi saniem remittere, & diu-  
tinam ægrotationem , balneo , sudoribusq; laxare :  
Nesciebant crurum vincula, brachiorumq; latentem  
vim , & in medio sedentem ad extrema revocare.  
Nunc verò quam longè processerunt mala valetudi-  
nis ? Has usuras pendimus voluptatum ultra mo-  
dum fasq; concupitarum. Ita etiam SENECA  
Epist. 94. Medicina, inquit, quondam paucarum fuit  
scientia herbarum , quibus sisteretur fluens sanguis,  
vulnera coirent paulatim. Deinde in hanc pervenit  
tam multiplicein varietatem. Nec est mirum : Tuin  
illam minus negotii , firmis adhuc solidisq; corpori-  
bus, & facili cibo, nec per artem voluptatemq; cor-  
rupto. Qui postquam cœpit , non ad tollendam,  
sed ad irritandam famem quæri , & inventæ sunt mille

(condi-

KD7

condituræ, quibus aviditas excitaretur, quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino maldentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. Inde in totâ cutem humor admissus, distentusq; venter, dum male assuescit pl<sup>o</sup> capere, quam poterat. Inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescientibus, nervorum sine sensu jacentium torpor; aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid Capitis vertigines dicam? Quid oculorum atriūmque tormenta, & cerebri æstuantis verminaciones, & omnia per quæ exoneramur internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu subeuptum, aliarum tenui peste repentinum, aliarum cum horrore & multâ memborum quassatione venientium? Quid alias referam innumera-biles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant, aut cursu defatigata, aut venatu, aut tellure versata. Excipiebat eos cibus, qui nisi esurientibus placere nō poterat. Itaq; non opus erat tam magna Medicorum suppelleçtile, nec tot ferramentis atq; pyxidibus. Simplex erat ex simplici cauſa yaletudo: Multos morbos, multa fercula fecerunt. Vide quantum rerum per unam gulam transiturum

per-

permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix: Necesse est itaque inter se tam diversa dissideant, & hausta male digerantur, aliis alio nitentibus. Nec mirum, quod inconstans variusq; ex discordi cibo morbus est. Et illa ex contrariis naturæ partibus in cunctem compulsa redundant. Inde tam nullo ægrotamus genere, quam vivimus. Hactenus SENECA.

XXI. Sed missis his possumus etiam aliter ex abundanti respondere, quod antiqui Medici, in ARABIA, GRÆCIAque scripserint? Quis autem negabit, quasdam herbas ibi potentiores, quam in nostris Regionibus esse? Quæ crescente etiam Lunâ colliguntur, aliter habent quam decrescente. Aliter etiam Veris, aliter Autumni varietas herbas afficit.

XXII. De Homine pariter Compendio Universali & Macrocosmi Microcosmo disputant, & illius etiam ætatem defecisse, illumque cum primorum & antiquorum ætate non comparandum esse. Ante Eluvionein enim illam terrarum, quæ describitur à Mose, Gen. c. vii. constare, homines admodum longævos fuisse, postea magis magisque illorum ætatem contractam esse, ita ut hanc ætate, quæ mundi extrema creditur, quam pauci ex immensitate viventium ad annum sexagesimum pervenire possint. Sed esto, vixit Adam, 930 annos! Enoch 369! Mathusalem 969! Quid inde? supernaturales ibi causas concurrisse quis negabit? Et licet certi nihil possit affirmari, eaque vita longævitatis potius ad peculiarem Dei benedictionem

C

neim

Konf

nem referenda, tamen probabiliter ea refertur, tuum  
ad temperantiam hominum, tuum ad fructuum, quibus nutriti sunt nobilitatem, ad aëris salubritatem, ad animi tranquillitatem fide conceptam. Moses autem  
Ps. xc. quæritur, septuaginta annis terminari humanam vitam. Bene! A Mose autem ad nostra tempora  
fermè ter mille sunt anni. Apud nos nunc infrequen-  
tia non sunt similia. In promptu itaque est ostendere,  
intra istos ter mille annos à Mose ad nostra usq; tem-  
pora ætatem hominis non decrevisse.

XXIII. Coeterū quod dicunt Adversarii, senesce-  
re mundum & ad interitum vergere, præsertim hu-  
manorum corporum exiguum statuam imbecillesque  
vires arguere. Nam mundō recente, ajunt, ac vigen-  
te multō proceriora nascebantur, quod ossa ingentia  
sepulchris eruta plerisque locis demonstrant. Et ut in  
pictorum operibus semper minus ostendunt artis &  
elegantiæ, quæ ad propositum exemplar singuntur ac  
depinguntur: Efficiturque secunda imago deterior  
prima, & ex secunda depicta tertia, & ex tertia quarta:  
quòque longius à prototypo disceditur, eò imperfe-  
ctius ejusdem perfectio imitando exhibetur. Porro  
inquiunt, tale aliquid in magnete observatur. Qui  
primus ad eum ferreus annulus adinovetur, quàm si-  
xus adhæsit? At qui postmodum ad hunc ad motum  
alius, non tantâ vi ab annulo priore, quantâ ille à lapide  
retinetur: Lentius à secundo tertius, segnius rursū à ter-  
tio

tio quartus : Atque ita deinceps serie longissima,  
per quam una sancè potestas ferrum ad se trahit & co-  
hibet : Non tamen ita valide in sequentibus ut in pri-  
mis, præsertimque in ipso magnete. Debilitatur enim  
Virtus, & quo ab origine longius sese porrigit ac dif-  
fundit, eò magis sensim carpitur & exauritur. Simi-  
liter cùm homines hominibus, ut folia foliis , per tot  
intervalla seculorum successerint, tum corpori , tum  
animi vires atq; decora, paulatim velut attrita, accisa,  
& senectute confecta cernuntur. Quā de re con-  
questus est HOMERUS Itiad. v. qui tamen à mundi  
ortu propriū aberat. Ex quo scripsit JUVENAL. Sa-  
tyr. xv.

Nam genus hoc vivo tunc decrescebat Homero ;  
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.  
**LUCRETIUS** in II. de parvitate animantium hæc habet :

Jamq; adeo effœta est ætas, effœtaque tellus  
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit  
Secla deditq; ferarum ingentia corpora partu.  
Sed has ego objectionum fibras stirpium evellam, ut  
non repullulent, faces extinguiam, ne reviviscant. Equi-  
dem concedimus Gigantes olim extitisse, qui, quia cō-  
munem hominum staturam excesserunt insigniter, ad  
monstrorū omnino spectant censum. Sed & nobis con-  
cedat hodieum magnam hominum varietatem esse.  
Et quis nescit Batavos in INDIA integrum *Gigantum*  
*insulam* reperiisse ? conf. Hist. Antipod. Omnes verò

omnino homines fuisse Gigantes negamus. Impium enim est asserere, Deum condidisse MONSTROSUM ADAMUM & Patriarchas. Falsum etiam est , totum populum CANANÆORUM fuisse giganteum, etsi id Exploratores Num. XIII. 33. ajant.

XXIV. Cœtera in cursu Disputationis ventilanda erunt. Exposceret quidein hujus materiæ dignitas, ut pluribus eam persequerer , pauloq; altius gravitatem ipsius ponderarem. Verùm quia instituti mei ratio id prohibet, vela hîc contrahimus, & illud Maronianum lætô edimus ore lib. III. Æneid.

Felices spirant auræ : Datur hora quieti.  
Sufficiat itaq; mihi pro ingeniali tenuitate præcipua tantum & quæ huc maximè spectant indigitasse. Quod si fortassè minus dextrè & concinnè rem proposui, apud æquum & benevolē Lectorem veniam mihi parataī fore confido, atque ita cœtera finio, hanc Disputationem obsigno.

Meliora Meliores.

*DEO autem TER. OPT. MAX. sit Laus &  
Gloria deævo in ævum.*



05 A 287

ULB Halle  
004 210 352


3



KM



**FarbKarte #13**



36  
81713  
MUNDI SENIO  
IN ILLUSTRIS  
CHRISTIAN-ERNESTINI  
ACROATERIO MAJORI  
SUB PRÆSIDIO  
Dn. M. JOHANN. WOLFG. RENTSCHII,  
PHIL. PROF. PUBL. NEC NON ALUMN. INSP.  
DISPUTABIT  
AD d. IV. JAN. CIC IOC LXVI.  
AUTOR  
JOHANNES LEONH. PREUSSING.  
TYPIS JOHANNIS GEBHARDI.

[Private] A  
Von